

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

9 September 2009

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Asser: Annals of 883-4

Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXIII, nativitatis autem regis Ælfredi trigesimo quinto, praefatus exercitus naves suas per flumen, quod dicitur Scald, contra flumen navigans, ad monasterium sanctimonialium, quod dicitur Cundoth, traxit, et ibi anno uno mansit.

Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXIV, nativitatis autem Ælfredi regis trigesimo sexto, praefatus exercitus in duas se turmas divisit: una etenim turma in Orientalem Franciam perrexit, et altera ad Britanniam veniens, Cantiam adiit, civitatemque quae Hrofesceastre Saxonice dicitur, in orientali ripa fluminis Medwæg sitam, obsedit. Ante huius portam pagani castellum sibimet firmum subito fabricaverunt; nec tamen illam civitatem expugnare potuerunt, quia cives illi se viriliter defenderunt, quousque Ælfred rex, cum magno exercitu adiutorium illis conferens, supervenit. Et tunc pagani, relicta arce sua, et omnibus equis, quos de Francia secum adduxerant, derelictis, maxima parte necnon captivorum suorum in arce dimissa, adveniente subito rege, ad naves suas confestim confugiunt, et Saxones statim derelictos a paganis captivos et equos diripiunt. Pagani itaque, magna necessitate compulsi, eadem aestate iterum Franciam adierunt.

2. A school dialogue

A. Audi, senior uel episcopo uel doctor ecclesie.

B. Audio te humiliter. Quid dicis, uel quid loqueris, aut que est necessitas tua, uel pro qua causa huc uenisti?

A. Est enim necessitas mea: cupio librum aliquem legere, tecumque libenter, si uis, discere canonicum codicem, librum euangelii siue grammaticam (id est Donatum) seu meum compotum.

B. Amice, habebis illum tecum, et docebo tibi secundum potestatem meam, et nihil dubium uel obscurum in se relinquamus.

A. Bonum est, quod tu dicis, si hoc implere uis, quia sufficit mihi, quod potes. Sed unam rem quero ante, et propter clementiam tuam rogo, ne me oprimes obscuris eloquiis uel in dubiis uerbis difficillimis, quoniam scio potentiam tuam et fortitudinem et sagacitatem intellectus tui in lectione, quia non sustinet eam inbecillitas mea, quoniam rudis sum et infantulus adhuc in lege latinitatis.

B. Care puer, faciam ita. Non dico ad te aliquid, nisi quod deduxeris et intellexeris.

3. From the Rule of Benedict

XL De mensura potus

Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius uero sic; et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam uini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut loci necessitas uel labor aut ardor aestatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus ne surrepat satietas aut ebrietas. Licet legamus uinum omnino monachorum non esse, sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem uel hoc consentiamus ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius, quia uinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi

autem necessitas loci exposcit ut nec suprascripta mensura inveniri possit, sed multo minus aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant et non murmurent.

4. John of Tremblay and his wife Aveline sell twenty arpents (half-acres) of land to the Abbey of Saint-Denis for 95 pounds

Guillelmus, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus presentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus quod Johannes de Trembleio miles et domina Avelina ejus uxor, in nostra presencia constituti, recognoverunt se vendidisse pro quatuor viginti et quindecim libras parisiensium viginti arpennos terre ecclesie Beati Dyonisii, sitos apud Trembleum in dominio et campiparte ipsius ecclesie, ut dicitur, ab eadem ecclesia imperpetuum quiete et pacifice possidendos, promittentes, fide prestita, quod contra hanc venditionem venire decetero non presument, et quod in dicta terra in posterum nichil penitus reclamabunt. Eadem vero Avelina quicquid juris in terra dicta habebat ratione dotalicii sive alio modo sub sue religione fidei quitavit coram nobis penitus et concessit. In cujus rei memoriam et testimonium, presentes litteras sigilli nostri impressione fecimus communiri. Datum anno Domini M° CC° XX° secundo, mense novembri.